
Vacandum Studiis.
Ex Bibliotheca
VALENTINI SCHLIEFF
Gedani.

Henrici Nicolai

1. Oratio de Proterria quadam Philosophica.
2. Miscellanearum Exercitationum Decades III.
3. Gymnasium Ethicum.
4. Irenicum sive de differentiis Religionum conciliandis Comentatio.

D. O. M. A.

Miscellaneorum

DECADIS II.

EXERCITATIO I.

De MONTIUM NATURA ET CONSTITUTIONE.

Physiologica & Historica.

Pro disputatione ad sententiarum collationem in Gymnasio Gedanensi proposita.

Præside

HENRICO NICOLAI

Philosophiæ Professore publico

Respondentis partes defendente

JOHANNE ADAMI Dantiscano Borusso.

Amplissimi Senatus Alumno.

Ad diem 11. Junij S. N.

In Auditorio Philosophico

Horis ab 7. matutinis.

Gedani. Typographo GEORGIO RHETIO exscripta. ANNO 1636.

Decadis II. Exercitatio I.

De Montibus.

Physica & Historica.

Respondente JOHANNE ADAMI. Dantiscano Borusso. Ad diem 4. Junij S. N. Anno 1636.

ILlum ego jure
Despiciam, qui scit, quantò sublimior Atlas
Omnibus in Lybiâ sit montibus: hic tamen idem
Ignoret, quantum ferratâ distet ab arcâ
Sacculus: è cœlo descendit γνῶθι σεαυτόν
Figendum, & memori tractandum pectore.

Verba sunt liberrimæ notæ Satyrici, Juvenalis Sat. XI. *Illud monentia, ita curam sapiendi extra nos habeamus, ut ne quæ ad nos & intra nos sunt, aut ignoremus, aut quasi parum nos attinentia velut umbras aut inanis spectri imagines despiciamus. Ac nec nobis animus est, dum montium naturam cogitatis lustramus, ita istis contemplationibus hærere, ut Ethica, & quæ moribus formandis conducunt, velut aliena â nobis adunco quasi naso suspendamus. Sed alterum alteri pulcherrimâ conjugatione jungendum est: & ut situm animi per scientias rerum eruimus: ita scævitatem voluntatis moribus extundere debemus. Posterius suo tempori relinquentes jam prius potissimùm nostræ contemplationi destinare propositum est, visuri, quomodo* montium doctrina *in Physiologicis se habeat, & quid velut per historiam naturalem & Geographicam de ijs notatu dignum occurrat, observaturi.*

2. Dari montes *oculorum & experientiæ testimonio liquet,*

quet, cui bellum movere volens non refellendus, sed fustibus castigandus venit. Sed cum variis modis *illi considerari possint, videndum erit, quo potissimùm modo huic contemplationi objiciantur. Spectatur mons,* vel ut *primo creationis tempore terræ à Deo concreatus est, de quo* th. *6. & laudandi creatoris argumentum suppeditat,* Dan. 3. v. 75. Psal. 148. v:9. *Ita Theologo considerandus veniet :* Vel *ut commoditatem prospectus, castelli, urbis, ædificij, horti, vineæ, cellæ, portus & stationis, aut simile quid præbet; Ita Optico, Architectoni, Moechanico, Ingeniario, Oeconomo, Agricolæ, Nautæ maritimo curandus erit :* Vel *ut dimensiones & quantitates terræ præstat, exaggerat & amplificat: Ita Geometræ sit objectus :* Vel *ut reflexionem sonorum, situs, obliquitatis, vel aliâ ratione præstare potest: ita Musicæ & Mathematices parti, quæ sonorum differentias ad examinis sacoma exactiùs appendit, relinquatur:* Vel *ut regionum, aquarum, territoriorum & dominiorum fines ministrat, Ita ICto, Politico, Geographo, & hydrographo sub censuram veniat :* Vel *ut mineralium ferax est, aut mirabilibus illustris, Ita Metallurgo, Historico Naturali, & Geographo speciali & Historico subjaceat :* Vel *ut pars elementi terræ est, ad integritatem, ornatum, commoditatem ejus faciens, Ita Physico subijcitur, & magnam partem cum præcedenti considerandi modo hujus disquisitionis ventilationi relinquetur..*

3. Quantum ad nomen *montis, spectatur illud* vel in homonymiâ, vel Etymologiâ, vel synonymiâ. Homonymiâ, *quâ sumitur* vel *Tropicè* vel *propriè.* Tropicè *tripliciter :* Metaphoricè, Metonymicè, & synechdochicè. Metaphoricè *notat 1. regna & dominia. Sic in sacris regnum Babylonicum mons pestifer dicitur.* Jer. 51. v. 25. *Regna impiorum montes prædæ vocantur.* Psal. 76. v 5. *& septem montes 7. Reges.* Apoc. 17 v. 9. *regnum Judaicum montes dicitur.* Psalm.

72.v.3. *2. Regnum Christi & Ecclesiam Christianam.sic* Esai. 2. v. 2. c.11. v. 9. c. 65.v.25. Mich. 4. v. 1. Psal.68.v.16.17. Ezech. 20.v.40. Dan. 2. v. 44. 45. c. 11. v. 45. *3. Ecclesiam Judaicam V. Testam: sic in sacris* Psal.3 v.5. Psal. 15. v. 1. Psal. 43. v. 3. Ps. 48. v. 2. Ps. 99. v. 9. Esai 27. v. 13. c. 65. v. 11. Dan. 9. v. 16. *Interdum cum additamento vel* mons Sion *dicitur*, Psal. 2. v. 6. Psal. 48. v. 3. 12. Psal. 74. v. 2 Psal. 78. v. 68. Ps. 125. v. 1. Es. 8. v. 18. c. 18. v. 7. *vel mons Domini.* Psal. 24. v.3. Esai:14.v.25.c.65.v.9.Ezech.20.v.40.*vel mons testamenti.* Esai. 14.v.13. *4. Omne elatum, excelsum, & robustum, Vt* Esai.2. v.2. 14. c.5.v.25. c.40. v.4. c.42. v. 15. Mich.4.v.1. Psal. 30. v. 8. Zach. 4. v. 7. *& alibi. 5. Loca munita, abstrusa, & inaccessa.* Jerem. 16. v. 16. *Sic Matathias cum suis in montibus egisse dicitur,* 1.Macc. 2. v. 28. *i. e. speluncis & locis occultis.* 2.Mac.10.v. 6. *Sic Judæi jubentur fugere ad montes,* Matt.24.v.16. *i.e. loca munita & inaccessa, s. montosa sint, sive plana. 6. Omnem eminentiam, copiam & vehementiam, s. terræ sit, sive aquæ, sive alius rei. Sic in sacris montes tenebrosi pro ingentibus calamitatibus.* Jer. 13. v. 16. *& justitia Dei stare dicitur sicut montes DEI.* Psal.36. v. 7. *i. e. magno & excelso modo. In prfoanis apud* Virgil.1. Æneid. *Insequitur cumulo præruptus aquæ mons.* Ovidi. 1. trist. el. 2. *Me miserum, quanti montes voluuntur aquarum.* Horatius *parturiunt montes, pro insigni aliquo & spectabili dixit. Sic montes mali* ap. Plautum Epid. a. 1. sc. 1. & Mostella. a. 2. s. 1. *Mali mœroris montem maximum conspicatus sum. Similia in* Merc. a. 3. s. 4. *vide. Sic idem montes frumenti in* Pseud. a. 1. sc. 2. *argenti,* Mil. a. 4. sc. 2. *dixit. Author ad* Herenn. l. 4. §. 7. *montes belli fabricare, &* Prudentius *peristeph: montes monetæ conditos dixit.* Lucilius: *Tanti se tempestatis montes ad sidera tollunt.* Apulejus apolog. *Hominis animus si nec monti-*

bus auri satiabitur. Proverbio dicitur, aureos montes polliceri, pro ingentia. Perſ. ſat. 3. *Et quid opus Cratero magnos promittere montes.* Saluſt. in bell. Catilin. c. 7. *Maria & montes polliceri ait. Huc pertineat, quando apud* Papiſtas *pecuniæ in uſum locationum interventu pignoris certis conditionibus acervatæ vocantur* montes pietatis, *quorum habendi rationes Videſis* ap. Leſſium l. 2. d. juſt. & jure c. 20. dub. 23. *&* append. ad hunc loc. p. 805. D. Meiſnerum p. 3. Ph. ſob. ſ. 1. c. 6. q. 1. p. 266. 267. ſeq. *Per* allegoriam metaphoricam *mons poteſt notare* ſanctos, *quòd ſint ſolidi, in cœlum erecti, voluptatum vacui, ſplendore mundano viles, virtutum intra contentivi, ut montes mineralium:* diuites, *quòd ſint elati, duri, ſteriles bonorum, frigidi, inſidijs expoſiti, nebuloſi, ut montes ventis, tempeſtatibus & pluvijs:* paradiſum & vitam futuram, *quòd perfectè ibi eſſentia Dei videatur, ut à monte proſpectus patet in circumjecta, & quæ ſunt ſimilia, quæ perſequentem videas* Berchorium T. 2. l. 11. reduct. moral. c. 2.

4. Metonymicè *vox montis notat ædificia in montibus ſtructa, & homines ibi degentes. Sic Ioſua terram montanam occupavit,* Joſ. 11. v. 16. *i. e. urbes & homines ibi degentes.* Conf. c. 14. v. 12. c. 24. v. 4. Judic. 1. v. 19. c. 7. v. 24. Pſal. 114. v. 4. 6. Pſal. 148. v. 9. Ezech. 36. v. 1. 3. 4. Amos 6. v. 1. *Sic Libanus mons in ſacris notat ædificia ex Libani lignis ſtructa.* Jerem. 22. v. 23. *Homines circa Libanum habitantes.* Habac. 2. v. 17. *Synechdochicè notat* 1. generaliter *totum aliquem terræ tractum pro parte iſtius terræ. Sic montana Ephraim pro tractu illo dicuntur, ubi Michæ domus erat.* Jud. 17. v. 1. 8. *filia Iephtæ in montes juiſſe dicitur,* Jud. 11. v. 37. 38. *i. e. certam montium partem.* 2. Specialiter *terram Canaan,* Exod. 15. v. 17. Pſal. 78. v. 54. Eſai. 65. v. 9. *quia paſſim montoſa illa erat.* Deut. 11. v. 11. 1. Mac. 10. v. 70. 3. Specialiſſimè

mon-

montes Hierosolymitanos, Psal. 87. v. 2. Propriè vel *est* nomen proprium Viri *alicujus, qui* Mons *dictus, accolæ montis Silicei, qui Ezelinum Veronæ tyrannum unguibus & dentibus fœdè laniavit, donec ab ejus ministris occisus est, apud* Zuinger. vol. 4. l. 1. p. 507. vel appellativum, *& notat terram in sublime ascendentem, & velut tumorem humi. Sic hic sumitur.* Sic Job. 14. v. 18. 1. Sam. 23. v. 14. Amos. 4. v. 13. *& alibi in sacris occurrit.*

5. Etymologia, *Quæ* Logica *erit â montositate vel montinitate, si sic per Latinitatem loqui liceat, abstractâ formâ sui concreti, cui præbet denominationem formalem*: Grammatica *quibusdam â monendo vel movendo deducitur, quod moneat vel moveat aliquid. Sed rectè repositum â* Scalig. l. 3. poet. c. 90. *parum monere aut movere montem posse. Aliis â manendo, & μένω, unde μόνος, solus, & contrahendo velut, mons, quod plerumq; soli montes, steriles, nec tantâ frequentiâ inhabitati, ut plana.* Scal: c. l. Becman. orig. vo. montis. Alsted. in Lex: *aliiq;. Aliis â minis, i. e. eminentiâ, quomodo pinnas murorum minas vocamus, unde Germanorum* Hügel *ab* hoch; *vel minando, i. e. agendo, quòd pecora ad montes minari soleant.* Martin: in Lex: Etym. *voce mons. Veteres enim minari pro agi & duci dicebant.* V. Apulej. l. 3. Meta: p. mihi 141. Meursium in mantiss. ad Rom: lux: c. 18. Historica *quærat, quis primis nominis apud Romanos appellator? Hoc in incerto est.* Allusiva, *quæ ab eminendo deducitur, & mons q: eminens dicatur.* Synonymia, *quâ dicitur elata terra, tumor, protuberantia terræ, terra montana, collis, clivus, fastigium terræ: Poeticè & periphrasticè umbo, â Græco ἄμβων sic enim Græci ἄμβωνας extumida & prominentia vocant.* Statius in Achilleid. l. 1. vers. 408. Undisonæ quos circuit umbo Maleæ. *Idem* Thebaid: l. 6. ver: 257. stant juga, &

 ob-

objectus geminis umbonibus agger-*Campum exire vetat.* l.7.v.15. omne quod Isthmius vmbo-detinet. *clivosi supercilium tramitis, ardua terrarum, anceps montis acumen, molle supercilium montis, Rictus montis nimbosus, prærupta moles. &c. Interdum & saxum. Vnde* Servius in 2. Æne. *Saxi de vertice, pro montis positum ait. Græcis* ὄρος, *ab* ὄρω *excito, quod inprimis visum procul excitet: vel ab Hebr.* הָר, *vel* אוֹר, *lux, quod sublimis & in luce positus, ut alijs placet. Hebræis* הָר, הָרָר, הָרֶר, *Chaldæis* טוּר, *ex* צוּר *rupes. Germanis* berg/ *à* burg/ *ob eminentiam, vel* bergen/ *quod ibi contra insultus nos occultemus, ut David.* 1. Sam. 23. v. 14. c. 26. v. 1. *vel Græco* πύργος, *turris, refugium, quod castella & refugia in montibus paremus.*

6. *Hæc de* nomine *montis:* Res ipsa definitione, divisione, causis, & affectionibus, *expediri poterit.*

7. Definitio *sit:* Mons est terra in sublime & tumorem versus cœlum elata, terræ in principio concreata, ad perfectionem ejus, & sublunarium utilitatem, varietatem, & voluptatem.

8. *Dicitur* 1. ex genere terra, *i. e. portio aliqua ad elementum siccissimum & gravissimum, quale terra est, pertinens. Terræ vox sumenda* & strictè *pro eo, quod vera terra est, ut lutum, arena: &* latè, *pro eo, quod ad terram pertinet, & ex eâ generatur a. producitur. Vt rupe, ferro, cretâ. Vnde quidam montes ferrei, quidam ex rupe, cretâ, &c. qui terra dicuntur, quia ad eam pertinent, & ex eâ generantur.* 2. ex differentiâ *in sublime & tumorem versus cœlum elata. Tumor est elatio quædam telluris in altum protensa. Per hoc distinguitur ab aliâ terræ ratione, ut campo, scrobe, planitie, valle, convalle, præcipitio, specu, hiatu, foveâ, & similibus.* 3. Ex efficiente primariâ *dicitur terræ in principio concreata, sc. â Deo, is enim*

solus

solus creationis terræ causa. Job. 38. v. 4. 5. psal. 102. v. 26. psal. 104. v. 5. prov: 3. v. 19. c. 8 v. 30. Jerem: 10. v. 12. *In historiâ creationis* Gen: 1. *non est expressa mentio montium creatorum, sicut nec angelorum, mineralium, metallorum, accidentium, temporis, & similium: Colligi tamen cùm è sacris, tùm naturâ firmiter potest, ab principio creationis terræ, montes ei concreatos fuisse. Non quidem primo die, vel secundo, ubi terra cum aqua unum globum constituit, & totam tellurem ex æquo aqua circumcinxit: Hic n. nullas montium eminentias, vallium depressiones, aut habitandi commoditates fuisse* Blancano *assentior* in loc. Math. Aristotel: n. 151. *sed tertio, ubi aquæ in decliviora loca secesserunt, montes in eminentiorem terræ partem se contulerunt.* Gen: 1. v. 9. 10. *Hic montes terræ coëxtitisse probatur ita.* 1. Scriptura *montium meminit ante diluvium.* Gen. 7. v. 19. 20. *Hi* vel *in primâ creatione creati,* vel *postea,* vel *sponte extiterunt.* Non postea, *nullum enim de eo indicium in sacris: Et quievit Deus post creationem à creandis novis rebus,* Gen. 2. v. 2. *Non spontè extiterunt, nihil enim in creatis naturalibus est sui ipsius productivum, sed ab alio producitur, ut inductione patet; E. in primâ creatione sunt concreati.* 2. In describendo *primordio conditi mundi, cum fundamenta terræ sunt posita, aquæ collectæ, montes factos conjungit scriptura.* Prov. 8. v. 25. 26. psal. 90. v. 2. 104. v. 5. 8. 9. Job. 15. v. 7. *E. simul cum condito orbe creati.* Perer: l. 1. in Gen: n. 101. *addit locum* ps. 76. v. 5. *Sed in Hebræo est* מֵהַרְרֵי טָרֶף *præ montibus prædæ, non æternis, ut vulgatus reddidit.* 3. Eadem *scriptura Deo emphaticè tribuit, quod præparet montes in virtute suâ.* psal. 65. v. 7. *eosdem faciat.* Amos 4. v. 13. *& quod altitudines montium ejus sint.* psal. 95. v. 4. *E. à principio eorum causa.* 4. Ratio *consentit.* 1. Quod *exornatum, perfectionem & amœnitatem terræ facit, id eidem*

dem ab initio concreatum fuit. Creata enim fuit ornatissima, perfectissima & amœnissima, pro statu isto, in quo primus homo in terrâ degere debebat. At montes faciunt ad ornatum, perfectionem & amœnitatem terræ. De ornatu *sensus testatur.* Perfectio *& amœnitas ex finibus montium patebit.* th. 9. 2. Si terra *tota plana creata fuit, non potuerunt ex eâ oriri flumina & defluere ad mare, oriuntur enim maximam partem in montibus, vel ad montes, unde decurrant in depressiora. Et non defluit aqua, nisi ab loco excelsiore ad depressiorem. In æqualiter planis non ordinatè defluit, sed impetu effuso quaquaversum expanditur. At in principio terræ orta sunt ex eâ flumina,* Gen: 2. v. 10. 11. *& ordinatè ad mare defluxerunt, ut ad finem suum, ex quo & originem habent.* Eccles. 1. v. 7. *E. & montes in principio terræ fuerunt.* 3. Si terra tota *plana creata, ergò æqualiter in eâ venti & tempestates in uno hemisphærio cuncta turbârunt. Sic enim in mari fieri solet, ubi æqua planities; & locis desertis planis, ut Lybiâ, & desertis arenosis Africæ, sicut experientia testatur. Ibi enim ventis arenâ excitatâ omnia obvia sternuntur, non minus ac in pelago; & progressus, incessus, & itinera meantiū summoperè impediuntur. Vbi enim nullum repagulum obsistit ventis, æqualiter omnia corripiunt, miscent, confundunt, prosternunt. Experimur, quanta vis sit ventorum, etiam montibus impetum eorum frangentibus. Quanta fuisset, si principio universa terra plana fuisset, nihilq; ventorum impetum coërcere potuisset. At hoc maximè contra commoditatem hominum & jumentorum fuit. E. non credibile, terram planam ex toto ante diluvium fuisse.* Accessisse *aliquot montes terræ per diluvium fortasse non negari queat: Ita enim aquarum inundationes ex planis locis elata, & ex elatis depressa non rarò faciunt* V. th. 20. *Omnes in universum montes tùm demum cœpisse non est credibile ex dictis.*

Pulcrè

Pulcrè Scalig. ex: 43. De montium generatione qui quærit, quærat is quoq; de maris, cæli: & aliorum. *Nam piè delirant profectò quidam, qui ex diluvio raptam subductamquè terram detersosq́; montes ab aquis in mare præcipitantibus prodiderunt. Tantâ vecordiâ, ut ignorent, si montis altissimi fastigium terræ subtractione novâ sit æquandum superficie, universam terram suis è sedibus revulsam exhaustum iri.* Alij *ab astris attractas illas moles extra terræ planitiem ajunt. Adversus quos aliqui non ineptè argumentantur, si astrorum opus esset hoc, simùl item cum astrorũ motu moverentur montes. &c.* Alij *montes in diluvio æquatos & aliò translatos esse putant. Sed nec in historiâ diluvij aliquid hujus narratur, nec credibile est contigisse.*

9. *Dicitur* 3. ex causâ finali, ad utilitatem, varietatem & voluptatem sublunarium conditus. Utilitas *montium varia est:* vel *ultima, ut inserviant gloriæ Dei, ita enim montes cum alijs creatis illustrant eam, ejusq́; prædicandæ occasionem subministrant.* V. th. 2. Vel *intermedia. Hæc* vel ratione inanimatorum, vel animatornm. Inanimatorum, *ut aëris, qui ventilatur & defæcatior redditur in montibus: fluminum, quæ commodiùs ex montibus in declivia profluunt.* V. t. 6. *Ventorum, quorum impetus objectu montium coërcetur, violentia comprimitur, & natura interdum temperatur. Sonorum, qui suaves & mirabiles interdum reflexiones inter montes habent, unde varij Echûs modi, de quibus* t. 24. *Territoriorum & districtuum, quibus fines & terminos montes interdum ministrant. Sic Pyrenæi Galliam & Hispaniam dividunt: Alpes Germaniam & Italiam: Sudetes Germaniam & Bohemiam.* Conf. th: 18. Animatorum, *ut herbarum & arborum quarundam, quarum proventus felicior interdum est in montanis, quàm planis. Sic populus in fluvijs, abies in monti-*

 bus

bus altis. Animalium, *partim brutorum, quæ montibus gaudent.* Job. 39. v. 4. 11. c. 40. v. 15. psal. 104. v. 18. 1. Sam: 24. v. 3. *partim rationalium, quibus montes utilitates præstant ratione ciborum, medicamentorum, mineralium, propugnaculorum & castellorum, quæ munitissima in montibus parari possunt: puritatis aëris, quæ defæcatior in montibus, quàm vallib: repagulorum, quibus mare & flumina cöercent, ne ultrà debitum exundent: Ventorum, quorum impetum interpositu suo frangunt, & sic temperatiores illos reddunt: Videndorum, quæ distantissima ex montibus percipiuntur: Arborum, quæ ad varios vitæ humanæ usus in montibus vel solùm, vel copiosiùs & solidiùs proveniunt.*

10. Varietas *est, quâ montosa planis mista terræ situm velut amplificando decorem & ornatum ei conciliant, & mox plana calcari possunt, mox in sublime eniti licet. Ita velut omnes terræ modos & rationes Deum creare voluisse apparet, & ut creationis statui competebat, omnem variandi perfectionem ei circumijcere.* Voluptas est, *quâ ex varietate oblectationem capit homo,* partim ratione visus, *quem spectatio variantium locorum, modò elatorum, modò depressorum, aut è sublimi prospectus in circumjecta ad ingentem interdum distantiam, mirificè reficit:* partim ratione motus, *qui suavior, si quandoq; per acclivia perficiatur, quàm si per sola plana. Unde* Aristot: *ambulationes per plana laboriosiores esse ait ijs, quæ per incompta, & rationes inquirit* s. 5. probl. q. 1. §. 38. partim ratione soni, *ubi ex refractionibus sonorum inter montana plerumq; latentium mirâ jucunditate perfundimur. De ijs* th. 24.

11. *Ita* definitio *ex causis externis & internis fuit. Ei quædam* obstare *videntur, quibus solutis firmior definitionis perstabit veritas.* Dices I. Terra *est totum integrale respectu*

mon-

montis, ut partis integralis. At totum integrale nunquam est genus suæ partis integralis. Sic absurdè defınies caput per hominem, digitum per manum, ut genus: sunt enim tota integra respectu capitis & digiti, ut partium. R. Distinguendum inter totum integrale homogeneum & heterogeneum. *Totum heterogeneum nunquam est genus suæ partis, Tale homo & manus est: benè homogeneum, sic gutta sanguinis, aquæ, est sanguis, aqua. Deinde totum integrale, prout transit velut in naturam generis, potest esse pro genere suis partibus. Sic justitia particularis est genus distributivæ & commutativæ, etsi rigidum genus hic non sit. Sic Philosophia, quæ totum quid est, respectu theoreticæ & practicæ, ut partium, est genus utriusque. Philosophia enim practica vel theoretica definitur Philosophia.* V. coron.Gym. Log. t.20. 2. Definitio *materiâ & formâ ut causis internis absolvitur, i. e. genere & differentiâ. E. cæteræ causæ externæ, ut efficiens & finis, superfluæ. At in definitione montis illæ sunt.* V. t.6.7. *R. Definitio rigida & exactissima, quæ est entis directè prædicamentalis, fit per genus & differentiam, non ultrà: benè qualiscunq; & analogica, qualis hic est, ut entis reductivè prædicamentalis: est enim partis, quæ reductivè est in prædicamento totius. Hæ definitiones sunt per additamenta, ut vocant. In his & efficientem, & finem, & objecta, subjecta, aut similia adferre licet. Sic* conjugium *definies legitimam duorum conjunctionem ad sobolem, mutuam societatem, & honestatem servandam à Deo ordinatam.* Magistratum *potestatem à Deo ordinatam ad servandam justitiam & salutem publicam. Sic tonitru definitur sonus in nubibus ex extinctione ignis concitatus: Ecclypsis solis obscuratio ex interpositione Lunæ orta, & sic consequenter. Ista definitiones in his & similibus rebus benè tolerantur.* Co. Cl. I. M. C. 5. d. 2. q. 1. C. 10. d. 5. q. 1.

12. 3. Quod ulcus *in corpore, id tumor & mons in terrâ. At ulcus potius excrementum & rejectitium quid, quàm utile. Ergò. R. Mons dicitur ulcus terræ per analogiam potius æquivocam, quàm veram: Non ergò omnibus tertiis cum ulcere conveniat, necesse est, ut excrementitium & rejectitium esse. Vlcus eminentiam in corpore præstat: Sic mons in terrâ. Vlcus inutiles corporis humores attrahit & in se derivat: Sic obstantes terræ arenas mons ad se aggregat. Vlteriùs comparatio non extendenda.* 4. Montes *lassitudinem ambulantibus præstant, sterilitatem locis inferunt, sunt enim ferè arenosi & saxei: multum terræ absumunt, quæ pascuis, satione, hortis, plurimum utilitatis hominibus præstare possent: sæpè halitibus nitrosis, sulphureis, ignitis, integris agris & urbibus magnas strages intulerunt, ut de Æthnâ, Heclâ, Vesuvio, constat. E. magis inutiles & noxij terræ, quàm utiles. R. Omnia hæc per accidens & eventualiter contingunt, non per se. Lassitudo à nimiâ ambulatione ad montes est, non à monte per se. Sterilitatem compensant proventu metallorum, mineralium, gemmarum, vitium.* V. th. 19. *Strages halitibus editas, thermis, aquis acetosis, & medicamentosis remunerantur. Sæpè Deus ijs ad supplicia hominum utitur, quæ aliàs ab ipso monte per se non efficerentur. Sic nives ab montibus devolutas pagos evertentes & homines immittit.* V. Fabricium l. 4. cosmoth: sacr: c. 13. Jonston. taum. nat: clas. 2. c. 9. n. 1.

13. 5. Terræ debetur *figura perfectissima, quæ globosa. At illam valdè impediunt protuberantiæ & tumores, quales sunt montes. E. non potuerunt in statu primo, qui perfectissimus fuit, ei concreati esse. R. Terræ debetur figura globosa,* sed in toto & circumferentiâ, *unà cum aquâ consideratâ,* non in se solitariè *spectatâ, aut quovis puncto & parte, in quibus sunt montes. In his nemo tàm vecors animi inventus*

est.

eſt, ut terram eſſe rotundam auſus ſit profiteri. Hic valles, montes, terræ ſub aquis, ſuprà aquas ſunt. Montes campis, & quibusdam montibus altiores ſunt. Inter ipſos campos inæquales videmus depreſſiones, ut Scalig. ex. 37. ſ. 1. *verba ſunt. Deinde montes & juga ad totam terræ molem nullam habent notabilem proportionem, unde non poſſunt eam impedire. Sic muſca in globo repens aut parva rima globi, non impediunt notabiliter ejus rotunditatem: cavitas aliqua non piperis figuræ rotundæ derogat: Sic in Eclypſi lunæ umbra terræ non tumida, ſed rotunda apparet. Et Dicæarchum perpendiculo montes permenſum id obſervaſſe tradit* Plinius l. 2. c. 65. *Hinc eleganter* Buchanan. l. 1. Sphær. *ait:*

> *Nec te commoveat, quod in altos edita montes*
> *Pars terræ aſſurgat quædam, depreſſa profundis*
> *Vallibus hæc ſidat penitùs. &c. Et poſt:*
> *Sin tibi cum totâ maſſâ telluris & undæ*
> *Quantumvis altos libeat componere montes:*
> *Aſperitas terræ, quam nos miramur, inanis*
> *Vaneſcit, nullumq́ facit penitùs monumentum.*

ap. Pincierum l. 3. ænigm: æn. 32. *Dicitur terra rotunda Geographicè & Phyſicè, non Geometricè & exactiſſimè.* Plin. l. 2. c. 24. *Non abſoluti orbis eſt forma in tantâ montium excelſitate, tantâ camporum planitie: Sed cujus amplexus, ſi capita linearum comprahendantur ambitu, figuram abſoluti orbis efficiant.* Seneca l. 4. nat. qu. c. 11. *Pilæ luſoriæ non multum commiſſuræ & rimæ nocent, quò minus par ſibi ab omni parte dicatur. Cum in hac pilâ nihil illa intervalla officiunt ad ſpeciem rotundi: ſic nec in univerſo quidem orbe terrarum editi montes, quorũ altitudo totius mundi collatione conſumitur.* 6. Super *terram dicitur linea extenſa.* Job. 38. v. 5. *E. non potuit cum tot tumoribus creata eſſe, quales ſunt montes. R. Dicitur*

citur ita populariter & similitudinariè, ratione totius figuræ, quæ ita ordinata, acsi lineâ conformata fuisset. Ita ei tribuuntur fundamenta. c. l. v. 4. *mensura, basis, & lapis angularis, anguli.* v. 5. 6. 13. *& tamen nihil horum reverâ in terrâ. Ex similitudinibus non demonstratur exacta rei veritas. Et figuræ totius terræ & æqualitati montes nihil adimunt, ut ante dictum.*

14. *Ita* definitio *montis fuit:* Divisio est vel *in species,* vel *partes,* vel *gradus,* vel *accidentia.* Ex speciebus *divisio propriè dicta nulla est. Est enim vox montis vox speciei ultimæ, divisionem in inferiora ut species non admittens, sed ut Individua, ut hunc, illum montem, Æthnam, Vesuvium, Libanum. Nec dantur è diametro oppositæ montium species sub monte, ut genere, sicut sub animali rationale & brutale.* Ex partibus *dividitur in* radicem, medium, dorsum, & verticem. Radix *est pars infima montis, unde in altum assurgere incipit. Ad radices oppida, monasteria, horti & viridaria extructa esse solent: rivuli decurrere, & aquarum scaturigines oriri solent.* De radice montis *quæri solet,* an & cur vas plus aquæ aut vini recipiat ad radicem montis, quàm in vertice? in cellâ domus, quàm supremâ parte? *Rem se ita habere affirmant Mathematici & Mechanici, ut* Archimedes, Clavius, ap: Keckerm: l. 2. d. loco. c. 17. & d. 22. curs: Phil. qu. 3. corol. Mech. *Rationem desumunt* ex naturâ aquæ, *quæ ascensura in tumorem circularem assurgat, naturâ ut gravis descendat ad fundum, centrum suum. Cum ergò centro proprior est, faciet circulum & tumorem minorem, & sic plus capiet vas aquæ: cum â centro remotior est, faciet majorem, & sic minus capiet. Omnis enim circumferentia quò proprior est centro, eò est minor: quò remotior ab eo, eò major. Sed ad radices montis terræ centro vas istud est propius, quàm in vertice ejus. Et sic etiam plus aquæ capiet.* Conf. Aristot: l. 2. d. cœl. c. 4. t. 31.

Ke-

Keckerm. c. l. Medium *est pars montis intra radicem & verticem interjecta. Solet amœnas convalles interdum binis montibus inclusas habere.* Dorsum *est posterior medii montis pars, anteriori in proportione quantitatis elatæ respondens.*

15. Vertex, jugum, *seu* fastigium *est summa montis pars, ultra quam amplius non elevatur. Solet castella & munimenta, sylvas, dumos, sentes, sustinere. Frequenter frigoribus infestatur, &* perpetuas nives *asservat, etiam cum plana ardoribus exæstuant. Quæsitum de eo est* dec. 1. misc. d. 2. t. 21. *Sed ratio non est apposita. Hic per occasionem paulò pluribus deducendum.* Sirac. 43. v. 4. *tripliciter sol montes exurere dicitur. Sed id* vel *de medio aut imo montium accipiendum, non summo:* vel *de minoribus, non elatioribus. In altissimis jugis Peruanæ regionis sub Æquatore sitæ, plurimi Hispanorum ea peragrantes frigoribus perierunt, ut ex Indicâ historiâ refert* Bodinus l. 2. Th. nat. p. 204. *etsi planities ardoribus torreretur. In insulâ occidentali Teneriffâ, quæ ex Canariis una est, mons altissimus toto ferè anno nives in jugis ostentat, excepto uno vel altero mense, ut ex* Rob: Sues *narrat* Keckerm: l. 1. Geogr. c. 3. *In Islandiâ mons Hecla, mons Crucis & Sueuelstockel semper nive & glacie obsiti.* Camerar. c. 3. hist. c. 17. Conimbricenses in l. meteor: tr. 12. c. 3. *montem Helga in eodem tractu addunt. Dorfriniy in Sueciâ nivibus per æstatem teguntur montes, quæ interdum de jugo decidentes ad radices montium ita augentur, ut integros pagos obruant.* Ionstonus thaumat. nat. class. 2. c. 9. §. 1. *Libanus in Iudæâ tantos inter ardores opacus fidusq; nivibus.* Tacit. l. 5. hist. c. 2. *Et testatur idem* Rauwolfius, *qui vidit.* L. 2. itin. c. 12. *Idem de Olympo & monte Bernhardi in Alpibus narrat* Fabricius c. l. c. 12. 13. *Qui & glaciem in Alpibus ab 2000. & 3000. annis durare refert c. 13. Vnde Alpes ab albendo dictos*

dictos putant, quod vertex niueo semper candore nitescat. Conf. & Livium dec. 3. l. 1. c. 32. 35. 36. *Atlantis in Mauritaniâ vertex perpetuis nivibus opertus.* Perer. l. 12. in Gen: n. 49. *Ratio petitur ex tribus.* 1. A radijs Solaribus *in reflexione impeditis. Radios solares perfectè reflexos multum calefacere, & quandoque ignem concitare testantur valles intra montes conclusæ, specula, corpora concava polita, pila crystallina Soli ex adverso opposita, vites ad parietes consitæ, citiùs maturescentes præ remotis ab parietibus, & similia. Eosdem reflexione privatos mitiùs agere, media aëris regio, loca elata, turres in fastigium ingens erectæ ostendunt. Cum ergò montium juga istam reflexionem prohibeant, quod spatio tàm protenso in ea ferri nequeant, ac in plana, & reflexionem tàm fortem non patiantur, ac plana, nives perpetuas retinent, cum in planis illæ liquescant.* 2. Ex ventis, *nebulis, pruinis, grandinibus, & alijs impressionibus frigidis â medio aëre incussis, quibus magis expositi sunt montes, quàm plana. Aggravant, retinent, & intendunt istæ causæ frigus in superioribus, Et ita consequenter & nives, proprium frigorũ consequens & effectum.* 3. In planis *plura frigori obstantia reperiuntur; itaque nec frigus ipsum ita sensibiliter in planis dominari potest aut durare, nec ejus effectum, nix, totum per annum persistere. Alij montes ut altiores Soli propiores esse volunt, & sic magis calidos quàm plana. Sed* nec *calor solis est formalis, ut quò propior quis ei sit, eò majori calore perfundatur, ut in igne est: sed virtualis, ut ostensum* dec. 1. misc. d. 4. th. 16. *Nec propinquitas montiũ ad solem tanta, ut sensibiliter calorem augere possit. Totus enim orbis terræ ad cælum compositus punctum est, in quo nihil ita eminere potest, ut cælestia magis sentiat, tanquam propiùs illis accesserit. Nisi simùl hominem longum magis calefieri â sole, quàm pusillum, aut arborem proceram magis, quàm breviorem dicas. Quæ in-*

insulsissima erunt. Vt rectè Seneca l. 4. nat: qu: c. 11. Alij *äerem in superiori parte tenuiorem esse ajunt, & sic calorem velut per inane transmittere. Hinc frigus in summis montibus: in inferiori crassiorem & solidiorem, & spississima in aëre desidere, hinc calorem recipere & tenaciùs retinere. Inde major calor in planis, quàm elatis locis.* Idem c. l. c. 9. 10.

16. Ex gradibus *per analogiam ita dictis mons est* vel *modicus,* vel *magnus.* Modicus *est, qui modicum attollitur. Et dicitur clivus, collis, monticulus. Ejus exemplum est mons Hermon.* Psalm. 42. v. 7. *amœni colles in Angliâ, Theumessus in Bœothiâ, Pylus in Peloponneso, apud* Fabricium c. l. c. 8. Magnus *est, qui in ingentem molem excrescit. Estq; talis* vel ratione fastigij *& altitudinis,* vel ratione crassitiei *protensæ & continuationis. Magni montis ratione* elevationis *exemplum est* Olympus *in Thessaliâ, quem supra locum imbrium, ventorum, nivium & grandinum vertice se elevare putant.* Solinus c. 14. Lucanus l. 2. Phars. *Nubes excedit Olympus, Pacem summa tenent.* Augustinus l. 3. d. Gen. ad lit: c. 2. *addit, in vertice ejus aërem adeò tenuem esse, ut nec nubibus nec ventis turbetur, alarum remigio avibus, & respirationi hominibus non sufficiat, unde ascensuri eò spongias humectatas secum pro respiratione adferant.* V. Perer. l. 3. in Gen. n. 28. *Veteres in cacumine nec reliquias cinerum è sacrificijs difflari, nec pluvijs dilui, sed vertente anno inviolatas servari tradiderunt.* Idem l. 2. n. 46. Plutarchus in Æmilio *scribit, Zinagoram vi & instrumentis Mathematicis summam ejus altitudinem perpendiculariter mensum esse, & 10. stadiorum, vel 1250. passuum reperisse. Vnde* Poetis *occasio fabulandi arrepta, cælum & superos in summo montis sedes locasse. Et apud eosdem Olympus pro cœlo in versu adhibetur.* Alij *multa horum à commentis Poëtarum tracta opinantur, & pro veris ac-*

 repta

cepta esse, cum re ipsâ fabulosissima essent. Vnde Augustin. l. 15. d. ciu. Dei c. 27. parum fidei isti altitudini tribuit. Et Ludou. Vives in l. c. Augustini testimonio cujusdam Philadelphÿ probat, qui Olympum conscenderit, & falsa, quæ de eo memorentur, compererit. Quod si vertex Olympi ultra imbres & ventos elevatur, E. ad supremam aëris regionem per mediam elevatur. At ista regio ultra 50. milliaria Germanica distat, ut Mathematici observant, quorsum nullius in Orbe montis fastigium se extendere certum est.

17. Atho mons in Macedoniâ etiam inter excelsos narratur, & superior loco ventorum & imbrium putatur. Tempore solstitÿ è Macedoniâ umbram jacere dicitur in forum Myrrhini, oppidi in Lemno, 86000. passibus inde distantis. Sed & hæc fabulis fortè sunt similiora, quàm veris. Solinus c. 16. oppidum Acrotion in summo ejus locat, in quo homines longissimam & saluberrimam vitam degant. At si in mediâ aëris regione mons est, ob frigus, humiditatem & nebulas malè ibi vivent homines: Si in supremâ, ob caliditatem, siccitatem & tenuitatem non diu, minùs feliciter ibi vivent. Plato negavit se vel ad Athon montem iturum, ut salubriùs viveret. Ælian: l. 6. Fuit ergò aër ibi salubris. At esse nequÿt, si in mediâ vel summâ aëris regione extitit. Dicitur Athon 22. monasteria habere, quorum nomina recitat & emendat Rutgers. l. 2. v. lect. c. 11. Atlas Mauritaniæ mons inter elatos narratur, è medÿs arenis in cœlum super nubila & in viciniam lunaris circuli evectus. Plin. l. 5. c. 1. At idem c. l. hæc pro fabulosis non immeritò habet. Ajunt verticem ejus perpetuis nivibus & nubibus tegi. At nives & nubes in mediâ aëris constitutione sunt. Ita non transcenderet illam. Casius mons in Syriâ Antiochenâ per directum 4000. passuum dicitur. Plin. c. l. c. 22. Quidam Veterum Paradisum in monte altissimo & lunæ proximo locatum

tum existimant. Nullâ probabili ratione aut scripturæ testimonio, de quo vide Perer. l. 3. in Gen. n. 20. 21. *seq: In sacris mons* Thabor & Carmelus *ob altitudinem celebrantur.* Jere. 46. v. 18. Matth. 17. v. 1. Marc. 9. v. 2. *Fuisse enim istum montem transfigurationis Christi Thaborem antiqua Ecclesiæ traditio est, & tacitè innuitur ab Evangelistis, cum ipsum* sublimẽ *vocant. In* Galilæâ *enim ei nullus fuit æqualis, ut non caussa dubitandi sit* Maldonato in c. 17. Matth. v. 1. *Et communiter* Patres *aliiq́ Papistæ montem Thabor fuisse concedunt, ut* Stella in c. 9. Luc. *Toletus* in h. l. Joseph. l. 4. Bell. Jud. c. 4. *stadia 30. altum scribit: & in vertice planitiem habere 20. stadiorum, totam muro circumdatã.* Polybius l. 5. hist: stadia 15. Geminus *ad perpendiculum stadia ferè 14. illi tribuit.* Cõf. Casaub. ex 15. f. 18. *Nebo & Pisga etiam in sacris celebrantur.* Deut 34. v. 1. Num. 23. v. 14. *Mons Peor.* v. 28. *Mons Sinai vertices binos editissimos habere dicitur, Horeb & Sinai.* Apolephtes p. 1. erquickstund. p. 8. Pelion *mons in Græciâ excelsus est. Dicæarchus altitudinem ejus 1250. passuum perpendiculariter mensus est:* Plin. c. 65. Idem c. l. *quosdam Alpium vertices non breviore 50000. passuum tractu assurgere ait. Quidam nec 5. die conscendi possunt.* Snellius l. 2. Erat. Bat. c. 17. Jda & Argæus *montes in Asiâ minore,* Hæmus *in Thraciâ,* Caucasus *in Scythiâ ingentes montes. In Caucasi jugis fermè per totam noctem solem videre licet.* Arist: l. meteo: c. 13. *ipsius summitates usq́ ad tertiam partem nocte, ab aurorâ, & â vesperâ illustrari ait.* Mazonius *inde 78. mill. altitudinem perpendicularem ipsi tribuit. Sed rectè reponit* Blancanus in locis Mathemat: *ex Aristotele deductis,* n. 148. *ex ipsius collectionibus, quas è crepusculis deducit, montem 270. milliaria altum fore, quod ridiculum, cum nullius montis altitudo sesquimilliare transcendat. Ipse Aristotelem intelligit de hori-*

horizonte non Caucasi, sed alius cujusdam loci, cujus habitator in principio sui crepusculi tertiam Caucasi partem jam illustratam videat. Sic altitudinem ejus fore vel 78. mill: si de tertiâ montis parte loquatur Aristoteles: *vel 22. Si de tertiâ noctis parte. Quod etiam omnem veritatem superat.* MaZonius *ex communi famâ ita Arist: scripsisse ait: Sed Philosophum vera & recondita docere debere, non ad popularem famam composita, iterum reponit* Blancan. c.l. p: 102. Vesulus, Gothartus, Bicornus, Pyrenæi, Lunæ *montes in Gogi regno altissimi.* In Norvvegiâ *similes sunt.* Patritius p: 133. pancosmi. *Montem Slatum totius terræ eminentissimum ibidem facit. Sed quisnam mortalium eum viderit, ignorari ait* Pontanus præf. Huesii d. globis. *Nisi quod de Mago quodam eò delato fabulentur. In Indiâ occidentali montes 5000. passus alti sunt.* Fabric. c. l. c. 8. *E quibusdam triduano descensu ad valles pervenire vix licet.* Jonston. taumat. nat. clas. 2. c. 9. §. 1. *In Teneriffa Insulâ Canariæ mons El Pico 15. Leucas altus est.* Calveto in descri. Can. c. 2. Scalig: ex. 43. *Putatur totius orbis altissimus esse. Quidam 8. milliaria illi tribuunt. Alij tria ad perpendiculum, ut* Fabric. c. l. *Alij duo, ut ex* Snellii Tiphy Batav. p. 109. *colligitur. Dicitur 4. Graduum intervallo à septentrione & meridie conspici. Ita altitudo esset 76. stadiorum: si unus gradus pro refractione deducatur, & 3. grad. relinquantur, esset major quàm 43. stadiorum. Quæ ferè incredibilis.* Idem l. 2. Erastosth. Batani c. 17. *In* Japoniâ *ad orientem excelsæ rupes sunt, quædam 200. orgyas altæ. In Americâ mons* Chimbos *in 10. milliaria Germanica efferri fertur.* Fabric. c. l. *In Sogdianâ regione* petra *est, in altitudinem 30. stadia eminens, in circuitu 150. complectens.* Curt: l. 7. c. 11. *Apud Mazagas* urbs *est, quam ab occidente & meridie prealtæ rupes muniunt, quas velut de industria eò admo-*

litæ

lita natura est. Idem l. 8. c. 10. *In Scotiæ quibusdam partibus montes excelsi & præcipites admodùm sunt, ut pastores in verticibus ambulantes si concurrere velint, vix per diem conveniant.* Lans. or. c. Brit: p. 705. *In Cantabriæ maritimâ parte mons prærupte altus est, totus ex ferro.* Plin. l. 34. c. 14. *Æthna in Siciliâ excelsus. Ab ejus apice vltra 200000 passus prospectus patet in pelagum & circumjecta.* Snellius c. l. *In Hispaniâ* mons Serratus *est, ambitu 4. leucas continens, plurimis immensæ altitudinis aspretis constans, ut sudo cœlo Baleares insulæ 60. leucis inde distantes cerni possint.* Lans. Or. c. Hisp. p. 498. *In* Vesuvij *vertice consistentes nubes quasdam pari cum monte altitudine â terrâ distare animadverterunt, nonnullas etiam despicere potuerunt.* Keppler. l. 1. Astron: p. 3. *Zabarella in* monte Veneris, *altissimo in agro Patavino circa medium montis nubes se vidisse refert, & in planitie ingentem pluviam decidisse, cum in jugo montis sereno cœlo usus fuisset.* l. d. reg. aëris c. 8. *Idem per Alpes & Apenninum proficiscenti sibi contigisse refert* Piccolomin: d. meteor: c. 11. *Et in Arvernorum summis montibus simile se spectasse narrat* Ramus l. 7. sch. Dial. c. 1. *In Seleuciâ mons Antiochiæ proximus est, cujus altitudo per directum 4000. passuum est.* Solin. c. 37. *In Germaniâ, Thuringicæ terræ parte mons Bructerorum est,* der Blocksberg/ *quem ad milliaria 3. sudo cœlo conspici narrant. Vertex perpetuis nivibus contegitur.*

18. *Ita mons magnus* ratione sublimitatis *fuit: Ratione* protensæ continuationis *magni montis exemplum dant* Alpes *in Italiâ, in vadis Sabbathicis inchoantes, per latitudinem Italiæ ad orientem ultra fauces maris Adriatici usq; ad Arsiam Dalmatiæ fluviũ se porrigentes. Longitudo eorum ad 2200: stadia extendi dicitur.* Snell. c. l. Atlas *in Mauritaniâ ab mari Atlantico exorsus ad fines Ægypti se extendit.* Caucasus *inter*

pontum Euxinum & mare Caspium per ingens spatium se diffundit. Apenninus *totam Italiam ferè per longum dissecat:* Atlas *Tauricam Chersonesum in binas partes dividit:* Grampius *mons Scotiam,* Thermopylæ *Græciam*, Pyrenæi *Galliam & Hispaniam*, Sudetes *montes Bohemiam & Germaniã*, Carpathij *Vngariam & Germaniam*, alij *Transylvaniam & Hungariam, dividunt. Regnum China montibus secernitur per 500. milliaria diffusis ab alijs regionibus.* Taurus *universam Asiam pervadens in duas partes eam partitur, & in 1125. milliaria Germanica protendi dicitur.* Fabric: c. l. c. 7. Doffrinienses montes *in Sueciâ ab Norvegiâ eam per ingentia terrarum spatia secernunt.* Idem c. l. Jura *vel Iurassus mons ingens & diffusum ad Germaniæ & Galliæ fines spatium facere dicitur apud eundem c. 9. Ita quosdam montes ob continentium jugorum diffusam productionem veteres catenam mundi nominarunt.* Heidfeld. Sphyng. c. 7.

19. Ita divisio montis ex gradibus *fuit.* Ex accidentibus alius *est sterilis,* alius *fœcundus.* Sterilis *vel Saxeus, vel arenosus.* Fœcundus vel *vitifer, ut Ismarus Thraciæ mons, qui ab unâ parte vinetis ferax est.* Virgil. l. 2. Georg: Juvat Ismara Baccho-Conserere, atq; oleâ magnum vestire Taburnum. Vel *oliger, ut Taburnus Campaniæ, mons olivarum Galilææ,* Matt. 26. v. 30. Vel *mellifer, ut Hymettus Atticæ mons semper florens, & inde libatum mel præstantissimum promens.* Plin. l. 11. c. 13. Vel *herbifer, ut Libanus.* Rauwolf l. 2. itin: c. 12. Vel *lignifer, qui arbores varij generis fert. Ita idem Libanus in sacris celebris ob cedros, quas tulit.* Psal. 29. v. 5. 1. Reg. 4. v. 33. c. 5. v. 6. *Hodiè raras eas ibi esse testatur* idem c. l. *& vix 24. se vidisse refert:* Vel *myrrhifer & thurifer, qualium montium meminit scriptura,* Cant. 4. v. 6. *In Indiâ Meron mons est, multa hederâ viteq; vestitus, pomorum*

quoq;

quoq; varios salubresq; succos ferens. Curt. l. 8. c. 10. Vel *metallifer, ut montes quidam Hispanici.* Plin. l. 3. c. 3. Lans. or. pr. Hisp. *Hungarici,* Idem Or: pr. Hung. *Germanici,* Id. or. p. Germ: *In Americâ montes auri & gemmarum sunt feraces.* V: Fabric: c. l. Vel *lapidifer. Quidam marmora feruut, & similes lapides, ut in ducatu Limpurgensi & comitatu Namurcensi.* Id. or. p. Germ: p. 87. *Quidam lapides fusiles, quos* schieferstein *vocamus, ut in Comitatu Mansfeldico,* Munster. l. 3. Cosmogr: 1. in descr Alsatiæ. *Talis lapidis mentio est in versione* D. Lutheri in Job. 28. v. 3. *Alij lapides durissimos, struendoo aptos, firmos & immarcibiles, ut Burgundici & Pyrenæi.* Lans. or. p. Galliâ. p. 85. *Quidam juxta Antiqueram in Hispaniâ, ex quibus gluten firmissimum & indissolubile paratur.* Idem p. Hisp. p. 268. *Moses Iudeæ montes laudat, quod lapides eorum ferrum sint, & æris metalla ex ipsis effodiantur.* Deut. 8. v. 9. *Quidam sales ferunt. In Hispaniæ Alpibus ex sale mero montes sunt, quantum demis, tantum accrescere scribitur.* Jonston. c. l. *in Poloniâ ad Bochnam montes Salini celebres sunt, ex quibus ingentes salium crustæ effodiuntur.* Fabric. c. l. c. 34. *Altus præceps, alius acclivus: alius clarus, alius obscurus. Ex loco, ubi situs est, alius potest esse Africus, alius Europæus, Asiaticus, & quæ similia esse possunt.*

20. Ita divisio *montium: Sequuntur* causæ. Efficiens *eorum* vel prima, vel secunda. Prima Deus est, *qui montes in principio terræ concreavit,* V. th. 8. *perinde ac fontes, aquas & flumina.* Gen. 1. v. 9. 10. c. 2. v. 10. Psal. 104. v. 10. Secunda vel *communis, ut Natura, provida rerum parens, & vis ordinaria rebus à DEO indita, quam appellando Deo non facimus injuriam, ut vult* Bodinus l. 1. dæmon. c. 5. *sed causam secundam primæ subordinamus:* Vel *specialis, quæ varia esse potest.* Vel *accretio terræ & quadam fœcunditas quasi promoven-*

ventis se interdum ultrà in altum: Vel *hiatus desidentes alicubi, & alibi efferentes sese:* Vel *aquæ, partes molles terræ cavantes, quæ alio in loco erumpunt & in tumorem se attollunt:* Vel *arenæ ventorum vi conglobatæ & in tumorem aggestæ.* Interdum *inundationes aquarum montium existunt causæ, qui abscedentib. aquis deinde remanent. Ita per diluvium aggestos aliquot fuisse non est incredibile.* V. th. 8. Quandoq; *à terræ motibus existunt montes, cum Spiritus terram concutiens non satis validus est ad diffringendam tellurem, sed in molem eam elevat. Sic mons Modernus ad Avernum lacum ortum duxit.* Conimbricens. in l. meteor: tr. 11. *Ita terræ motu conduntur interdum montes. Sic terra Cybotum altissimum montem devoravit cum oppido Curite.* Plin. l. 2. c. 91. *Ajunt Ossam Olympo cohæsisse, deinde terrarum motu recessisse, & scissam unius montis magnitudinem in duas partes: ait* Seneca l. 6. nat. q. c. 25. Interdum *miris translationibus montes ex uno loco abscedunt, & in alio existere incipiunt.* V. t. 22. Materia *montium est ipsa terra vel ei respondens quid, unde exsurgere incipiunt montes.* Forma vel *est interna essentia, montinitas, quæ est actus quidam latens nostram cognitionem, quomodo in formis plerumq; internæ rerum essentiæ nos fugiunt.* V. Scalig. ex: 307. s. 21. Vel *externa figura, quâ se aspiciendos præbent. Ita quidam albicantes, alÿ nigri, alÿ fusci sunt. Quidam in jugo angulati, alÿ obtusi & plani sunt. Quidam ahenum figurâ imitantur, alÿ arcum, alÿ vultum coronatum, alÿ Monachum.* V. Fabric: c. l. c. 10. Finalis *causa montium* ex th. 9. *patet.* Mahometes *in Alcorano de causis & naturâ montium varia, & monstrosa, ut solet, delirat.* l. 1. Alcor: c. 1. *Deum in principio non cælum & terram formasse docet, sed calamum, Adamum, thronum, & paradisum.* c. 13. *terram & montes ex spumâ maris, mare ex tenebris, tenebras ex luce, lucem ex verbo, verbum ex hya-*

ex hyacintho, hyacinthum ex mandato prodiisse ait Eodē cap. *cœlum viridem colorem traxisse refert ex* monte Caf, *qui viridis sit â smaragdis paradisi, universam terram cingat, cœlumquè sustineat. Quod si contingeret, ut terra se ex loco suo in superiorem attolleret, solem in fervente puteo locatum iri, puteum in colubro, colubrum in intervallo, intervallum in monte Caf, & hunc in manibus angelorum cœlum tenentium. Tempore generalis diluvij Deum mandasse monti* Abicobitz, *ut se aperiret & urbem Hierosolymam intra se reciperet, atq; ab aquis diluvij asservaret. Montes in die extremo ex* monte Caf *ondituros, & Deum ipsos statuisse, ut palos terræ. Sub septem terris taurū esse, sub tauro lapidem, sub isto* montem Zohod, *qui ex inferno prodierit, tantæq; sit amplitudinis, quantā 1000. annis peregrinando conficere liceat.* l. 2. c. 25. *fatetur, Deum pro bonâ recreatione creasse umbram in æstu, aërem serenum, & montes. Idem montem Sinai â Deo creatum fatetur.* l. 3. c. 77. & c. 34. *per eundem jurat.* C. 83. *in extremo judicio montes ut lanam carminatā futuros prædicit. Hæc & similia deliria recensuisse satis apud cordatos erit refutasse.* Poëtæ *ex saxis gigantum montes ortos fabulantur. Cum enim super altissimos montes ascendissent, dicuntur saxa ingentia inde jaculati, ex quibus, quæ in mare deciderunt, facta sunt insulæ, quæ in terram, montes.* V. Comit. l. 6. mytho. c. 21. *Hæc mythologicè sunt explicanda; realis historiæ nihil habent.*

21. Fuerunt causæ *montium: Sequuntur* affectiones. Eæ *sunt competentiæ quædam ultra definitionem, causas & species illis competentes. Suntq;* vel *absolutæ,* vel *respectivæ.* Absolutæ, *quæ ipsis solitariè per se spectatis conveniunt. Suntq;* vel *naturales* vel *præternaturales.* Naturales *sunt, quæ per ipsam montium naturam ipsis convenire possunt. Vt magnitudo, & elata & extensa, de quâ* th. 17. 18. *fertilitas aut sterilitas, de*

 quâ

quâ th. 19. *figura & apparentia externa, de qua* th. 20. *Vtilitates, de quibus* th. 20. *commotiones, quà cum terrâ quandoq́ commotæ sunt, de quibus in doctrinâ terræ motus agendum: Ignium, lapidum, cinerum, ferramentorum, aliorumq́ eructationes. Sic Æthna Siciliæ mons Catanæ urbi imminens, saxa, cineres, ignes eÿcit. De ejus mirabili naturâ Vide* Plin. l. 2. c. 106. l. 3. c. 8. Solinum c. 10. 11. Fabric. c. l. c. 14. Jonstonum c. l. n. 2. Conimbricens. in l. mete. tr. 12. c. 3. Hildebrand. l. 4. mag. nat. c. 8. *aliosq́. Idem facit mons Hecla in Islandiâ, de quo* Olaus l. 2. c. 3. Fabricius, Jonstonus, Conimbricenses c. l. *Mons Modernus propè Avernum lacum: alius in Hetruriâ, Vesuvius in Campaniâ, Epomeus in Ænariâ, colles insularum Vulcaniarum, terræ ardentes prope Argeum Ciliciæ montem, aliÿq́ apud* Conimbr. c. l. *Chimera mons in Lyciâ, Cophantus in Bactrianâ, Theon in Æthiopiâ, agri ad montem Hesperium in eadem, alius in novâ Hispania, alius ad urbem Peru, alius in regno Mexico, montes ad Guatimalam in regione Quito similia agere dicuntur ap.* Fabricium c. l. c. 14. 15. *Talia locorum innuit* Job. 28. v. 5. *Metallorum, mineralium, succorum metallicorum fæcundæ productiones, de quâ partim* th. 19. *partim* Fabricius c. l. c. 21. 22. 23. seq. Agricola de reb. subterr: Jonstonus c. l. clas: 4. Conimbricenses c. l. tr. 13. Matthesius in Sarepta conc. 2. & 3. *aliÿq́ uberiùs consuli possunt. Hic omnia deduci non possunt, quia theses scribendæ, non commentarius. Fontium in illis scaturigines, fluminum ab illis decursiones. Sic Euphrates, Rhenus, Danubius, Vistula, in montibus aut ad eos originem sumunt. Nivium retentiones, & interdum â vertice devolutiones, ut integros pagos obruant.* V. t. 15. *Mirabiles interdum constitutiones. Ad Harpasam Asiæ urbem petra est, quæ uno digito tacta commovetur, toto corpore impulsa immobilis manet.* Porta l. 1. mag. nat. c.

18.

18. Plinius l. 2. c. 96. *In Apuliæ quibusdam montibus conversa terra sole tacta humescit, pluviis irrigata superficies in pulverem redigitur.* Heidfeld. c. 7. Sphyng. *Quod & in Narniensi agro contingere* Plinius *refert.* l. 31. c. 4. *Iuxta Indum flumen duo montes sunt, alter ferrum omne tenet alter respuit. Itaq; clavi in calceamento in altero avelli nequeunt, in altero sisti.* Idem l. 2. c. 96.

22. Affectiones præternaturales *sunt, quæ præter & ultra montium naturam illis quandoq; competunt. Hæ* vel *à Deo,* vel *geniis,* vel *hominibus sunt.* A Deo, *quæ vel à Deo ipso in montibus gesta, vel ut gererentur, jussa. Talia sunt, diluvii super omnes montes, etiam excelsissimos, inundatio, ut 15. ulnis altissimos montes unda excesserit.* Gen: 7. v. 19. 20. *Nec hinc excipi debent Olympus, Athon, Atlas, vel similes, quorum altitudo* partim *fabulosa,* V. t. 16. 17. partim *extraordinariæ Dei operationi, qualis in Diluvii universalis immissione fuit, obstare non potuit. Nec enim diluvium istud ex meris causis naturalibus ortum, sed & supernaturalibus, unde multa hic occurrere possint, quæ per meram naturæ vim aliàs non contingant. De quo disputantem vide* Pererium l. 12. in Gen. disp. 12. n. 60. 61. *Æqualis montium ad pondus partium terræ in creatione distributio, ut æqualia æqualibus velut fuerint opposita, ne aliâ ex parte gravior facta terra in seipsam rueret, aliud centrum quærens, quod suo ponderi esset conveniens: Sed in medio centroque universi æqualiter ab omni parte librata, immobilem servaret distantiam & permanentiam. Quorsum* Esai. 40. v. 12. *respicit, & sic Deus omnia in pondere, numero, & mensurâ creavit* Sap. 11. v. 22. *Arcæ Noæ post diluvium super montem Ararat collocatio.* Gen. 8. v. 4. *solennis legislatio in monte Sinai.* Exod. 19. v. 18. 19. *Christi prædicatio sæpè in montibus facta, ut* Matt: 5. v. 1. *Eam Lucas in plano fa-*

 ctam

ctam ait, c. 6. v. 7. *Quæ nonnulli sic conciliant, quod primum Christus ascenderit in montem, deinde descenderit, ibiq́ docuerit: Vbi verò premi se â circumstante coronâ viderit*, Luc. 6. v: 19. *vicissim in montem ascenderit, ibiq́ concionem cœptam pertexuerit. Sic in navem se confert, cum â populo premeretur.* Luc. 5. v. 3. Quidam *diversas conciones apud Matthæum & Lucam describi putant. Illam ad populum factam*, Matt. 7. v. 28. 29. *& ante sanatum leprosum*, c. 8. v. 1. 2. *hanc ad solos discipulos*, Luc. 6. v. 20. *& post sanatum leprosum.* Luc. 5. v. 12. *Oratio ejusdem in montibus peracta.* Luc. 6. v. 12. c. 9. v. 28. *transfiguratio ejusdem in monte Thabor*, V. t. 17. *Supranaturalis interdum montium commotio, & ê locis suis translatio, in pœnam hominum â Deo interdum incussa. Quod Hiob ut mirabile quid adducit.* Joh. 9. v. 5. Anno 1571. *18. Febr. in comitatu Herefordiæ in Angliâ mons magno cum stridore se in superiorem locum extulit, arbores, caulas, ouium greges secum deferens, obuia evertens, de loco transferens. A Saturni vesperâ ad meridiem diei Lunæ ita motus tandem resedit.* Lansius or. c. Britan. p. 703. Anno 1618. *25. Aug: mons in Rhetiâ moveri cœpit, & teli instar è loco suo evolans in oppidum Plours se provolvit, totumq́ cum hominibus & ædificijs obruit.* Alsted. l. 7. Ency. p. 3. c. 10. §. 13. Heifeld. c. 7. Sphyng. *Rupes quædā montis ad preces Gregorij Neolæsariens: se ex loco suo extulit, & in aliū secessit* Euseb. l. 7. c. 25. *In agro Mutinensi montes duos magno crepitu assultantes recedentesq́ inter se concurrisse ex Etruscæ disciplinæ voluminibus narrat* Plinius l. 2. c. 83. *& Neronis tempore Vectij Marcelli olivetum viam publicam transgressum esse, & in locum oliveti arua successisse ibidem memorat. Hæc* vel *fabulis*, vel *magicis similiora videntur.*

23. A genijs affectiones *montium sunt dæmones, spectra & larvæ montes interdum occupantes, virunculi item* mon-

montani in ijsdem passim se ostentantes. Spectra *montes occupare historiæ testantur. Priusquam Vesuvius in Campaniâ exarsit, ingens copia hominum quasi gigantum circa montem visa est. In fumo montis imagines q. gigantum visæ.* Fabric. c. l. *c. 16. In monte Dæmon Christum tentare aggressus est.* Matth. 4. v. 8. *Qui pueros Hammonæ eduxit, tibicinis speciem mentitus, in montis, Koppen, hiatum ipsos deduxit, ann. 1284.* Wierus l. 1. c. 13. Circa an. Chr. 989. *Othoni I. Comiti Oldenburgico in montem* Osenberg *venationis studio delato spectrum ex hiatu montis venustæ virginis formâ se obtulit, cornu argenteum artificiosissimè cœlatum liquore repletum offerens, jubensq; ut biberet. Salvam fore domum Oldenburgicam, si faceret. Si detrectaret, omnia dissidijs plena fore. Comes cornu tenens liquorem effudit, & â monte festinè se præcipitavit, spectrum in hiatum montis secessit. Cornu inter cimelia Oldenburgica hodienum asservatur.* Hamelman. p. 1. Chro: Olden. p.19. *Bructerorum mons in Thuringiâ,* der Blocksberg/ *vel* Prockelsberg/ *ut alij vocant, conventibus spectrorum celebris est, etsi veras interdum lamiarum exportationes eò fieri non in totum negem, cum* Wiero l. 1. d. præst: c. 29. *In Silesiâ ad Bohemiæ fines montana sunt, incolis* Riesengebirge/ *Latinis montes Riphæi & Cerconesii dicta; in illis Monachi specie vel aliâ spectrum grassatur, quod* Rübenzal, *q.* Rübenzabel/ *(ubi Zabel antiquis Diabolum notabat, unde idem ac raparum Diabolum notat.) vocant, sæpè noxam viatoribus inferens, si lacessatur, & tempestates horribiles excitans.* Henelius in Silesiogr. c. 1. p. 6. *In Helvetiâ ad Lucernam mons est,* Fracmont *incolis dictus, in ejus vertice ater lacus esse dicitur, in quo spectrum judicis specie se ostentat, vnde Pilati animam ibi teneri credunt.* Vadian. in l. 1. Melæ. Stumpfius l. 7. Chron. Helvet: *Nobili cuidam in monte ad arcem William*

 duca

ducatus Wirtenbergici spectrum instar formisissimi scorti apparuit, & lascivis gestibus ad Venerem ipsum pellexit. Camer. C.1. hor. subs. c. 70. *Circa Ambergam Palatinatus superioris mons est, in cujus hiatu* Anno 1535. *cives quidam Ambergenses varia gigantum ossa, imagines, campos, palatia, fornices, & similia viderunt.* Anno 1596 *ingens hiatus in monte quodam ad Leoburgum Cassubiæ se aperuit. Immissi in eum latrones duo splendidum hortum ingressi sunt, & ope puerulì in regium palatium ducti varios concentus Musicos audierunt, Regem argenteo solio insidentem viderunt, litteras ê manu regis acceptas puer prædonibus tradidit, quas secum tulerunt.* Anonym. quid. in mem: c. 88. *In monte ad lacum Nursinensem in Italiâ Venus s. Sibylla se ostendit, & sæpè in serpentem se transformat.* Aen. Sylvius ep. 46. Virunculos & homunculos montanos, *cobalos, Gutelos, Trullos*, bergmänlin / bergweiber / *in montibus inter mineralia degere experientia testatur. In Comitis Hoyensis arcem eorum turma aliquando per noctem venit: in culinâ assare, coquere, grande convivium parare, mensis assidere visi sunt. Vltimò quidam eorum gladium, salamandræ cutem, & annulum, cui rubidus leo infixus, comiti obtulit, addens, tantisper salvam fore familiam, quamdiu dona ista secum servatura esset. Perditis istis cuncta adversa fore. Quoties fatum cuidam ê familia imminuit, leonem expalluisse ferunt.* Hamelman: c. l. p. 22. *In fodinis Annæbergicis quidam submontanus spiritus ultra 12. metallicos operarios interemit: In Snebergicis alius quendam miserè attriuit.* Wier. l. 1. d. præst. dæm. c. 16. Paracelsus l. d. nymphis & pygmæis tra. 1. 2. 3. *putat, tales homunculos medium quid inter hominem & brutum esse, spiritum pro animâ habere, unde* geistmenschen *vocat, & in aërios, aqueos, montanos, & igneos dividit*, windleute / wasserleute / bergleute / vnd fe-

wer-

werlente. *Posse nos ex illis liberos generare, sed qui nostræ speciei futuri sint, non ipsorum.* c.2. *ait, habere ipsos carnē, sed non Adamicam, quæ crassa & tangibilis sit, sed subtilem & penetrantem, quâ edant, bibant, generent, loquantur, ambulent, moriantur, quod meri spiritus non agant. Esse supra bruta, infra homines.* Aqueos *Nymphas vocari, Vndenas, Veneres, Melusinas:* terreos *montanos, pygmæos, gigantes, gnomos:* Aerios *sylvanos, faunos, sylvestres:* Igneos *Vulcanos & Salamandras. Nulli speciei cum aliâ quidquam esse commercij: quamcunque suis sedibus addictam curare in illis thesauros, tueri, occultare, suo tempore eruere.* tr. 2. *aërem suum, cœlum, cibos, vestes, morbos, scientias, imperia ijs tribuit, sed multum nostris diversa. Nec ultrà nobis omnia patere.* Weiters ist vns nicht zu ergründen. *Quosdam eorum loqui, alios non.* tr. 4. *narrat, Nympham aliquam Viro nupsisse. Sed cum Vir relictâ ipsâ, quam spectrum putabat, aliam duxisset, iratam illam indicium ferale pyro in mensâ posuisse, & virum triduo post obijsse. Similiter (si non eadem est historia) ac de Empusâ quadam Baroni cuidam Germaniæ cohabitante narrat* Camerar: C. 1. hist: c. 70. *Paracelsum sequitur* Anonymus c. l. c. 87. 88. 89. *Liceat de his ex priscâ formâ dicere, N. L. A. Multa sine ullâ probatione ponuntur, quasi satis haberent, narrari. Multa eorum per spectra expediri posse nemo facilè abnuerit. Ita Theologi communiter ea habere solent, cum* Wiero c. l. c. 16. & l. 2. c. 43. Idem c. 4. l. 1. *ex Philone refert, Amorrhæos 7. simulacra aurea habuisse, quæ nymphas sanctas dixerint, quæ opera & nomina ipsorum singulis horis ostenderint.*

24. Ab hominibus affectiones montium *sunt variæ. Quædam* perfectivæ, *quædam* abusivæ *& defectivæ.* Perfectivæ, *ut* arcium, *munitionum, palatiorum in montibus exstructiones:* In distantissima *ex ijs prospectiones:* quantitatis

com-

commensurationes, & quà longitudinem, & quà eminentiam, de cujus ratione instituendâ docent Snellius l. 2. Eratost. Bat. c. 17. Pontanus præf. d.globis.Sonorum, *vocum, clamorum variæ & miræ interdum ad montes reflexiones, quas Echus vocamus. Eas* Aristoteli *refractiones dici* 2. post:c. 16. t. 24. *ait* Blancanus in loc. Mathem. Aristot. n. 72. *Meliùs reflexiones vocari* Refractio *est, cum una res per diversa & inæqualia media videtur, ut talerus per aquam & aërem: sed* reflexio, *cum linea visualis vel simile, per quod fertur species, in corpus tersum durumq; impingit, & ex eo repercutitur. Sic in iride, speculo, Echo. Meum exemplar in* Aristot. c. l. *reflexio legit. Exemplum reflexionis lege* ap. Curt. l. 3. c. 10. *De illarum rationibus alibi fortasſis uberiùs.* Metallorum, *mineralium, succorum ê montibus variæ effosſiones, humanâ industriâ inquisitis venis, inventis, egestis, elaboratis.* Tempestatum *ex illis præsumptiones. Sic ex monte* Bructerorum, *si nebulis obfuscetur, pluviarum præsagia sumunt.* Anonymus c. l. c. 88. *simile in* Riphœo *monte observant, unde* der Schlesier wetterzeiger *vocatur.* Henelius c. l. Adagiorũ *& ænigmatum de montibus usurpationes. Vt, mons cum monte non miscetur, in pariter elatos & superbos: montes aureos polliceri, in ingentia promissa: Montes mali, frumenti, in magnam copiam.* V. t. 3. *Sic* ænigma *est:* Dic, quib⁹ in terris arx alto condita monte, Mille ubi per tectum posſunt errare bidentes? *In montem propè Halberstadium dictum est, ex cujus saxo excisa arx* Reinestein/ *cujus conclavia, culinæ, fenestræ, & partes cæteræ omnes in saxum incisæ sunt, unâ speculâ super templum exceptâ, quæ supra terram eminet* Heidfeld. sphyn. c. 7.

25. Abusivæ *affectiones montium sunt, quæ ex abusu hominum illis competunt. Vt* idololatriæ *in istis exercitatio, de quâ arguuntur Iudæi,* Ezech. 20. v. 28. *Baalitæ in monte Car-*

vel sacrificârunt. 1. Reg. 18. v. 19. *Olim Borussi in monte urbi nostræ vicino, quem* Heidenberg *vocant Chronica, sepulcreta habuerunt, inventæ sunt ollæ ossium humanorum in terrâ defossæ, aliaq; indicia sepulcrorū.* v. Schutzium l. 1. Chron. Prut. p. 7. *Haud dubiè & idolorum cultus in eodem monte viguit. Item* temerariæ *montiū perfossiones, diruptiones, in plana redactiones. Xerxes montem Athon perfodi jussit, fretumq; im mitti, ut classis eum pernavigaret.* Herod. l. 7. *Unde* Juvenalis sat. 10. v. 171. Creditur olim Velificatus Athos, & quicquid Græcia mendax Audet in historiâ. *Nauræ incolæ petram manu perviam fecêre.* Curt. l. 8. c. 2. *Sub Claudio inter lacum Fucinum amnemq; Lirim mons perruptus, & in lacu navale prælium adornatum, quò magnificentia operis â pluribus viseretur.* Tacit. l. 12. ann. c. 12. *per 3000. passus partim effossus, partim excisus mons est. Vix per 11. annos perfectum opus, etsi 30000. homines quotidie in eo elaborarent.* Sueton. in Claud. c. 20. *Semiramis â Babylone ad montem Iarcieum viam fecit, montes interjacentes perfodiendo, foveas complanando, aquas complendo.* Apolepht: p. 3. erquickst. p. 527. *Eadem ex lacu in Ecbatanā aquas deduxit, perforato Oronte monte.* Ziegler. d. van. vit: c. 7. *Lucullum ob injectas mari moles, & suffossis montibus receptum in terras mare Pompejus Xerxem togatum vocavit.* Patercul. l. 2. p. 66. *Annibal Alpium juga igne, sulphure & aceto dirupit, ardentia saxa putrefecit, & per invias rupes viam in Italiam fecit.* Livius dec. 3. l. 1. c. 37. *Hinc* Juvenalis c. l. v. 152. Opposuit natura Alpemq; nivemq; Diduxit scopulos, & montem rupit aceto. *Et* Persius sat. 1. sic collum magno subduximus Apennino. Anno 1515. *Franciscus Galliæ R. ut per Barcellonensiū valles cum exercitu meare posset, rupes & colles perforare necessum habuit.* Fabric. c. l. c. 10. *Ad hæc & similia* Job *respexit* c. 28. v. 9. *Caligula nihil*

tiam efficere concupiscens, quàm quod posse effici negaretur, exscindi rupes durissimi silicis jussit, campos montibus aggere æquari, montium juga fossuris complanari, incredibili celeritate, cum moræ culpa capite lueretur. Suetoni:in Calig. c.37. Prędonum, tyrannorum, & Gigantum *in montibus habitationes, qui ex illis insidiati sunt vitæ & bonis viatorum. Multas talium arcium olim habuit Germania, Italia, Scotia &c. In monte Vrbi nostræ imminente,* Hagelsberg/*Tyrannus olim egit,* Hagel *nominatus, acer subditorũ exactor, & rigidus observator.* Schutz. c. l. p. 6. *Herodes initio regiminis ex petris & rupib⁹ exegit prædones, & multũ famæ sibi conciliavit.* Joseph. l.14.c.27. *In Ægypto prædantes de montiũ jugis subinde erumpunt, spolijs suis intenti.* Euphorm. p. 4. c. 9. n. 7. *Gigantes montes olim insedisse ex* Jos. 11. v. 21. c. 14. v. 12. 15. Num. 13. v. 23. 33. 34. *alijsq; patet.* Lamiarum, Sagarum, *Magorumq; in montibus conventiones: sic in monte Bructerorum.* V. t. 23. *& quæ alia esse possunt.*

26. *Fuerunt* absolutæ *montium affectiones:* Respectivæ *sunt, quæ montibus cum alijs rebus collatis competunt, ut campis, sylvis, scrobibus, & similibus.* Suntq; cognatio, diversitas, & oppositio. Cognata *montis sunt acervi lapidum, lutum, aliave materia congestæ, aggeres, valla, & moles aggestæ in eminentiam: turres etiam, & arces in tumorem assurgentes, cœlũq; minantes Phari: fluctus marini, unde Poëtis montes aquarum dicuntur* t. 3. *nubes, procul interdum montiũ speciem ostentantes.* Diversa & disparata *ejus sunt aquæ, aër, ignis, animalia, plantæ, & similia:* Opposita *ejus sunt* vel relativa & contraria, *quæ hic nulla, est enim mons absolutum quid, & substantia, cui propriè nihil est contrariũ:* Vel privativa, *quæ sunt scrobes, hiatus, foveæ, specus, profunditates, campi, pascua, valles, convalles, & similia in terrâ. De specubus* V. Cardan. l. 2. d. subt. p. 152. *Quasdam in specie deductas* V. ap. Fabricium c. l. c. 17. Senec. l. 3. nat. qu. c. 21. l. 6. c. 28. Curt. l. 4. c. 7. *Quæri circa hæc solent duo:* 1. An Deus montem facere queat sine valle? *De quo actum* dec. 1. misc: d: 5. th. 11. *Vbi vide.* 2. An loca montana commodiora habitationi planis? Affirmanti *favet, quòd montana sint salubriora, munitiora, tutiora, amœniora & jucundiora planis: arcibus & castellis sustinendis magis idonea: efficaciores & nobiliores plantas, radices, arbores, saltus, vites ferant: ab tumultu strepituq; sint alieniora, ad studia gravesq; meditationes aptiora: fontium & aquarum salubrium scaturiginibus abundantiora: metallorum & mineralium feraciora, quorum vix aliquid in planis.* Negantem *firmat, quòd urbibus, pagis extruendis, negociationibus, commercijs, navigationibus, portubus navalibus, magis apta plana, quàm montana. Unde incolæ planorum plerumq; ditiores montanis. Quod flumina commodiùs habeant: cultiora & fertiliora sint in frumentis varij generis: magis temperentur sole, cum montana intensiùs frigeant, & ventorum injuriis magis sint exposita: incolas præstent temperatiores, ingeniosiores, diligentiores, humaniores, cum in montibus magis efferati: Copiâ necessariarum rerum, piscium, plantarum, herbarum, aquarum, brutorum cicurium præ montanis abundent.* Posterior *sententia priore non improbabilior. De rationibus contrarijs in discursu videbitur.*